



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica Oculi. Euang. Erat Jesus eijciens d[æ]mo. Luc. 11. Homili[æ]
tres

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

emendet, immunda sanctificet, turbulenta omnia feren-
ner: quoniam fidelis est & iustus deus, ut peccata nobis
nostra dimittat: nosq; ab omni malitia expurget, dum- ^{2. Johan. 1.}
modo sedula uoce clamauerimus ad eum, qui uiuit & re-
gnat in unitate spiritus sancti, per secula, Amen.

*Adde huc articulum de confessione, pœniten-
tia aut oratione siue ieiunio*

**DOMINICA TER
TIA QVADRAGESIMAE EVAN-
gelium Lucæ XI.**



In illo tēpore: Erat
Iesus eñciens dæmo ^{Mat. 9. 12}
nium, & illud erat mu-
tum. & cū eiecisset dæ-
moniū, locutus est mu-
t^o, & admiratę sunt tur-
bę. Quidam autē ex eis ^{Matth. 12}
dixerūt: In Beelzebub ^{Marc. 3.}
principe dęmoniorum
eñcit dęmonia. Et alię tē-
tantes, signum de cælo

quærebant ab eo. Ipse autem ut uidit cogitatio-
nes eorum, dixit eis: Omne regnū in se diuisum, ^{Matth. 12.}
desolabitur, & domus supra domū cader. Si autē ^{Marc. 3.}
& sathanas in seipsum diuisus est, quomodo sta-
bit regnū eius, quia dicitis in Beelzebub me eñ-
cere dęmonia? Si autē ego in Beelzebub eñcio
dęmonia, filij uestri in quo eñciunt? Ideo ipsi iu-

bb ij

Matth. 12. dices uestri erūt. Porro si in digito dei eñcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnū dei. Cū fortis armatus custodit atriuū suum, in pace sunt ea quæ possidet: si autē fortior eo superueniens uicerit eū, uniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui nō est mecum, contra me est: & qui non colligit meū, dispergit. Cum immūdus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiē: & nō inueniēs, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Et cū uenerit, inuenit eam scopis mundatam. Tunc uadit & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiūt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & hube ra quæfluxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud.

HOMILIA PRIMA.

Plurimum iam negociū diabolo incumbit, charissimi. siquidem quo sanctiora sunt magisq; ad pietatem nos monent tempora, eo plus laboris ipsi imminet. Videns itaq; nunc quoq; pctōrem sibi rimam, qua elabatur, quærere per pœnitentiæ sacramentum, nullū omnino relinquit lapidem intentatum, quin moueat ad impediendum illum. Peculiariter uero conatur os ei obstruere, ne confiteatur, uel non satis integre, sed & uolens sciensq; aliquid omittat, & sic in potestate sua permaneat. Id autem nos cauere ac prospicere admonens eccle-

Ecclesi.

na, proponit hoc euangelio hominem istum obsessum, & eundem quoque mutum, à quo quamprimum expulsi Christus dæmonium, cœpit homo hic loqui, in exemplū omnibus nobis, ne nos nimium ab hoc muto dæmonio obsideri sinamus: sed expulso illo, loquamur in confessione peccatorū nostrorum, ut sic gratiam dei in potestate clauium sacerdotis adsequamur, filij dei effecti, filij inquam iustitiæ, filij salutis æternæ. Verum nos iam ipsum euangelij contextum adsumentes, excutiamus sicut sancti doctores interpretati sunt. Nam qui de suo aliquid adsuertes, noua comminiscuntur, & populo proponunt, plerūq; caproso suo cerebro aguntur à diabolo, ut somnia, propria iactantes, facilius imponant simplicioribus. Vnde admonentur omnes non recedere uel unguem latum à patribus illis, cū quibus si sentiant, sciant se nō aberraturos.

¶ Consideranda hic principio nobis est regula beati *Augustini* Augustini, An non simile quiddam scriptum alicubi in *regula.* euangelio contineatur. Ingressi itaq; canones Eusebii, canone quinto uidemus Matthæum quoque idem hoc miraculum descripsisse. ex utroque igitur euangelista medullam veri intellectus consideremus. Obseruandum autem primum statim est, quod Matthæus dicit, oblatum CHRISTO fuisse hominem dæmonium habentem, in quo fides & pietas offerentium illum designatur, sicut in Luca cum paralytico. Quæ fortiter euincunt (contra neo *Lucæ. 5.* christianos) & bonum esse & salutare, ut quis mediatores pro se habeat & intercessores apud omnipotentem deum. Væ enim homini qui semet solatio tanto auxiliij mutui priuat. Qua de re plura in homilia de intercessione sanctorum.

2. ¶ Matthæus quoq; dæmonio obsessum illum fuisse refert mutum simul & cæcum, hinc est quod Hieronymus *Hieron.* ait tria signa simul in uno homine esse perpetrata, quando & cæcus uidit, & qui mutus erat locutus est, & obsessus à dæmone liberatus. Eius rei rationem Chrysostomus *Chrysost.* referens, inquit: O pestiferam dæmonis astutiam. utrāq; uiam occupauit atq; obstruxit, quibus ille erat creditus, uisum scilicet & auditum, quas tamen ambas uias Christus reserauit. Et quod ibidē corporaliter factum est, idē

- Beda.** etiam hodie Beda spiritualiter fieri refert in conuerfione fidelium, ut expulfo ftatim diabolo, qui cæcus ante fuerat, lumen uideat fidei, mutaque ipfius aperiantur labia ad laudem dei & confessionem peccati. Hinc autem potestas apparet diaboli, fi modo illi permittatur à deo, ut animum quoque hominis, fi uelit, infanum reddat & furibundum, ipfumq; hominem cæcum, mutum & surdum faciat. quod non latuit & Iob, dicentem: Quoniam nō est potestas super terram quæ comparetur ei.
- Iob. 4. r.** 2. ¶ Lucas tantum eieciffe refert dominum dæmonium quoddam, & illud mutum, mutum ab effectu, quod hominem quem poffidebat, reddiderat mutum. Neque hoc rarum erat in ueteri testamento, ut homines à dæmonijs obfiderentur, quando tunc longe plus potestatis habebat diabolus in hominem, quàm nunc in nouo testamento tēpore gratiæ, quo CHRISTVS illi superato, potestatem quoq; ademit plurimam. Erecto itaq; iā dæmonio, & loquutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Vbiq; hoc ex uniuerso euangelijs contextu liquet, quàm ualide & potenter CHRISTVS spiritus eiecerit immundos, sicut & Iohannes testatur: In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. Quod in Genesi quoque figuratum erat, quando Sara dicebat ad Abraam: Eijce ancillam & filium eius, hoc est, eijce lasciuiam & concupiscentiam malam, eiusque filium diabolum. Expulso iam dæmonio, locutus est mutus, in signum & testimonium ueri miraculi, non phantasmatis suspicionem. sed iuxta euangelium Matthæi, uidit ille quoque. Vnde infelices & nimium duri colligere debebant pharisæi, & Messiam ipsum esse, & hæc iam aduenisse tempora, de quibus Isaias dudum prædixerat: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Diligenter hic expendunt doctores, linguæ usum datum homini ad tria, ad laudem dei, ædificationem proximi, & confessionem sui. Et quandocunque diabolus hominem peccatis obruerit ita, ut hæc tria non operetur in lingua sua, dici potest, possideri eum à diabolo, mutumq; effectum, id autem omne fit per innocentiam.
- Obsessi plurimi.**
- s. Joh. 3.**
- Gene. 27.**
- Isaie. 35.**
- Lingue vno.**

am, auaritiā & superbiam . siquidem & illud quod aliquis peccata nonnulla in confessione celat , ex superbia prouenit , dum uideri se non uult coram sacerdote peccatorem tantum. Hoc modo quisquis à diabolo possideri se sentit, eijcere illū à se cōmodius non potest, nisi oratione sedula, sicut Dauid arcebat spiritum huiusmodi à Saule p citharā suā. cithara autem hęc beneplacita est deo, ut extēsis animi tui fidib⁹ psallas corā deo, orās cū oīni fiducia.

¶ Super hoc iam miraculo admiratæ sunt turbæ. Admiratio autem, ut inquit Chrysofomus, uia est ad credē dum: quoniam qui miraculum ex ipsa dei omnipotentia considerat, animo suo eleuatur: & sic dum illam intentus expendit, ædificatur in fide. Id plerunque turbæ fecerunt simpliciores, uerum maligni & in malitia sua excæcati pharisæi, hoc in sinistram partem semper rapuerunt. Matthæus quoque turbas dixisse refert, Non hic est filius Dauid? quibus uerbis significare uoluerunt utique, Messiam ipsum esse in lege promissum.

3. ¶ Mentionem eorū quoq; facit euangelista, qui hęc admirationem turbæ in calumniam rapuerūt, conati miraculum illud tantum reprehendere simul & contemnere. Non tamen hoc iuxta sententiam Bedæ fecerunt simplices, sed scribæ tantum & pharisæi, qui nitebantur etiam negare miracula Christi: & sicubi negare nō poterāt, nitebātur alijs uijs suppressere. idq; in hoc iam quoq; euāgelio duobus modis. fuerunt enim qui factum hoc magnum quidem ducerent & admirandum, sed tamen Christo non attribuebant quasi ipse id propria tum uirtute fecerit tum potestate, sed in Beelzebub, ueluti ministerio spiritus cuiusdā familiaris, sicut & apud Matthæū fecisse leguntur & dixisse, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. quando enim miraculum culpate nō poterant, causam illius conati sunt reprehendere. Beelzebub autem, inquit Hieronymus, idolum est Accaron, quod uocatur in Regum uolumine idolum muscæ. Beel ipse est Bel siue Baal, zebub autem musca dicitur. Principem ergo dæmoniorum ex spurcissimi diaboli appellabant uocabulo, quod musca dicitur propter immunditiam, quæ exterminat olei suauitatem.

¶ Glossa porro quiddam apertius insinuat, referens & niam Ninus patri suo Belo statuam erexerit, quò uelut ad asylū cucurrerint omnes, qui sibi criminis alicui⁹ erant conscij. unde factum est hominū superstitione, ut honores illi cœperint exhibere diuinos, quod uidens diabol⁹, sese statuæ insinuauit, indeq; respōsa dedit, quæ prima fuerit idololatria ibidē orta, deinceps per uniuersum mūdū dispersa. Tamen quod hic Glossa de patre narrat, de filio refert Sapiens, q̄ consimile quiddā de idololatriæ origine scriptum reliquit, dicens: Neque erāt ab initio, neq; erunt

Sapi. 14.

Idololatriæ origo.

in perpetuum. Vbi notabile hoc est, quò quēadmodum nulla fuit ante diluuiū idololatria, ita aliquando desitura est tota: quamuis nunc quoque ex bona parte cessauit, qm̄ iam nec Turcæ, nec Persæ sunt idololatræ. siquidē Aethiopes & Turcæ non adorant Mahometum suum pro deo, sed magno amico & propheta dei. Sequitur hinc in Sapiente: Acerbo luctu dolens pater, rapri cito sibi filij fecit imāginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tēpore, conualescente antiqua consuetudine, hic error tanquā lex cōstitutus est, & tyrannoz imperio colebātur figmēta. Habes hic idololatriæ originē ex sacris literis. nos autē ad Glossam, unde digressi sumus, reuertamur. A Belo isto multis deinceps in locis idola Bel & Baal appellari cœperunt. Iudæi autem uelut illudentes idolum, Beelzebub uocārunt, principem muscarum, quoniam muscæ plurimæ circum illud uolitabant. Hieronymus quoque super Habacuc, testatur serpentem istum à Iudæis Reseph dictum, qui primos nostros parentes tentauit in paradiso, tentasse etiam in deserto Christum.

**Hierony.
Habac. 3.**

4. ¶ Expende etiam hinc, quanta ista fuerit blasphemia, CHRISTVM summi dei filium, in simulare communitis cum diabolo consortij, imò ex ipso deo diabolum uelle facere. neque enim aliud erat quod apud Marcum dicebant, insanum eum esse & habere in se Beelzebub, atq; a deo in principe dæmoniorum eijcere dæmonia. qd̄ tñ q̄ modo declinet dominus, statim audiemus. Magi nanque

et si impediunt ne dæmonium extrinsecus hominem of-
fendat, illud tamen ex anima hominis nō eiciunt, quod
potenter fecisse dominum uidemus, qui homines corpo-
re simul & anima curauit, dum eos à morbo & ægritudi-
ne naturali sanauit, unde & dicebat, Totum hominem
sanauit in sabbato.

¶ Nunc quoque aliorum mihi malitiam considera, qui
miracula Christi depressuri, pro nihilo illa reputare uo-
lebant, petentes signum de cælo. Signorum, inquit Beda,
aliquod è cælo quærebant, cuiusmodi aliquando facta fue-
rant à prophetis, sicut Moyses columnam igneam cælit⁹
exhibuit populo ex Aegypto proficiscenti, sicut Samuel
mugire fecit tonitrua messis tempore, in ea regione qua
id solitum fieri non erat, sicut Elias è cælo euocauit igne
super sacrificium: & alibi, quando ignis de cælo descen-
dens, consumpsit duos quinquagenarios. Similiter cum
canentibus Ionatha & sacerdotibus, ignis de cælo incen-
dit sacrificium. Et quando sol pugnantem Iosue stetit, uel
ægotate Iezechia retrocessit. Verum in hoc isti tantum
tentabant dominum, qui si tale aliquod miraculum maxi-
me exhibuisset, culpatum tamen ab eis fuisset, tantum ab
fuit ut crederent, sed uel uariæ operationi ipsius naturæ
uel diabolo attribuissent.

¶ Quod si hic quæris, an dæmones quoque operari pos-
sint miracula, quando hic miraculorum effectum princi-
pi dæmoniorum attribuunt, respondeo id fieri posse nō
minus, quam Antichristus quoque multa miracula factu-
rus est: sed miracula, teste Paulo, mendaciorum tantum.
Et tamen quia potestas diaboli qualibet alia super terrā
maior est, fit ut multa possit ille super communem natu-
ræ cursum operari. ideoque & Augustinus ait, per magi-
am sæpe facta esse miracula æqualia ijs que ministri dei fa-
ciunt, sicut in Exodo habes de maleficis Pharaonis, Ian-
nes & Mambres. Cæterum quando dicit ille pseudopro-
phetas multa signa & prodigia facturos, admonet utique
ut intelligamus quædam miracula etiam sceleratos ho-
mines facere, qualia sancti facere non possunt, nec tamen
ideo potioris loci apud deum esse arbitranda sunt: & ita
uult plus commendari sanitas ab operibus iustitiæ, quam

Johā. 7.

Beda.

Exodi. 19.

1. Reg. 7.

3. Reg. 18.

4. Reg. 1.

1. Mach. 2.

Josue. 7.

Isaiē. 35.

2. Thessa. 2.

Job. 41.

Augustin.

August.

lib. 83. q.

ad miraculis. Verum omnia hæc istorum signa sunt mendacia, quando non in honorem & gloriam dei dirigunt, sed plerumque uelut præstigia exhibentur, oculis hominum imponentes: ut ea quis magnum quid esse putet, cum nihil sint: aut si quid etiam esse constat ex efficaci dæmonis potestate, non tamen cedunt in commodum hominis, cuiusmodi ridiculum hoc est quod Apollonius Tyaneus arbores ambulare faciebat & statuas loqui.

Philostrophus.

¶ Tale est, cum diabolus tempestates aeris concitat, non ignarus naturæ & operationis elementorum, neque inscius quomodo materiam pluuie grandini faciendæ attemperet. Eius generis est, quod & potuit diabolus homines uariis morborum generibus debilitare, quos deinceps ad idola currentes, sola notamenti ablatione curasse uisus est.

Lactanti.

Quæ omnia non uera sunt miracula, quoniam non fiunt potestate aliqua supernaturali. uel enim diabolus hoc quod agit, per deceptionem & uanam imposturam facit, uel ex naturalibus causis: deus autem etiam naturæ moderator & dominus est, adeo ut creaturæ omnes omnipotentis suo uerbo parere cogantur sine ulla ulteriori ordinatione. quo modo uerum est illud prophetæ, Qui facis mirabilia solus. Hæc eo libuit explicare diffusius, quod plerumque homines siue adeo simplices, siue nimium stolidi admirari solent maleficos, qui faciunt ut equum simul cum quadrigis quis deuoret, atque instar Antichristi, homines quoque armatos ex aquis proferat. Imposturæ & uanitates meræ sunt ad decipiendos Christianos, quoniam miracula ista (si modo sunt hac appellatione digna) nec ad gloriam dei, neque ad hominum faciunt ædificationem & salutem. Quid quod si etiam qui has nugas tractant, plerumque pauperrimi sunt: & ubique habitantes, nusquam habitant omnia perlustrantes, omnes alios decipientes, ipsi penè fame misere depereunt. Hoc autem certum habet, si quem deus hoc iam tempore ad penitentiam, confessionem & emendationem uitæ uocat, ut mutum ab eo dæmonium efficiatur, opus maius est omnibus omnium maleficorum præstigiis: imò non minus est impium iustificare, quam creare cælum

psalm. 71.

Augustin.

& terram. Hæc uobis consideranda sunt charissimi, ut qui nondum gratiam dei impetrarunt, adhuc deum orēt.

expulsione demonij muti, pro compunctiōe cordis: qui uero iam confessi gratiam dei habent, loquantur cū hoc muto, benedicant & laudent dominū, gratias agant illi qui est benedictus in secula, Amen.

HOMILIA SECVNDA TERTIAE

dominicæ in Quadragesima

Dominus noster Iesus Christus eiecit dæmonium mutum, admiratæ sunt turbæ, calumniati statim sunt pharisæi, dicentes illum ex diaboli facere potestate. Quem adfectum cognouisse Christum cum audis, duo obserua: alterum, quod quia imprudentissima erat talis cogitatio, isti etiam timore multorum perterriti, nō ausi fuerunt in publicum efferre, sed mente secum assidue uersabant: alterum, quod occulta cognitione cogitatuū Christus euidentis suæ demonstrauit diuinitatis argumentum, quoniam prauum, inquit Ieremias, est cor hominis & inscrutabile. quis cognoscet illud? ego dominus scrutans cor & probans renes. sic Dauid quoq; dicit, dominus probat renes & corda, dominus etiam ipse ad Samuelem, Homo uidet ea quæ patēt, dominus autem intuetur cor. Respondit autem dominus (ut ait Hieronymus) cogitati oni, non sermoni illorum, si qua ratione mouere eos posset ad credendum omnipotentiam & uirtutem suam, quoniam ipse & occulta cogitationum cognosceret, quod opus est soli deo proprium, sicut & Dauid ad Salomonem dicebat: Omnia corda per scrutatur dominus, & uniuersas mentium cogitationes intelligit. Cogitationes cordium ipsorum rationabilibus causis dominus refutauit, nō tamen exprobrans, neq; dicēs, Huiusmodi quiddā cogitatis in cordib⁹ uestris, qd alibi apud Matthæū ipsam fecisse legimus, cum diceret: Quid cogitatis mala in cordibus uestris? similiter in Marco & Luca. Vnde discendū est prædicatori, ne temere aduersus magistratus & potentiores dicat, q̄ hinc plerunq; mala emergunt, in quo peccare nunc grauiter uulgus neochristianorū uidemus, dū ardēter plebē aduersus utriusq; ordinis seu cōditiōis magistratū accēdūt, inique satis & improbe, qm̄ ei⁹ rei nullā

Chrysoſt.

Iere. 17.

Psalm. 7.

1. Reg. 16.

Hierony.

1. par. 28.

Matth. 9.

Marc. 2.

Luc. 5.

habent in sacris literis cōmissionem. Vicia quidem & odif se, ut ille ait, & aduersus ea inuehi debet prædicator: eo tamen modo, raliq; moderatione, ut quicquid dicit, ad hominum faciat emēdationem. Ecce enim cum soli penē cū

Matth. 23 Christo essent pharisei, absente populo, duriter adoritur eos dominus, & de mala cogitatione increpat: hic uero præsentē plebe, ne meminit quidem alicuius mala cogitantis, quo min⁹ animos uulgi cōcitarer aduersus ipsos.

¶ Ita Paulus suum quoq; docuit Timotheum: Seniorē **2. Timo. 5.** inquiens, ne increpaueris, sed obsecra ut patrem. Regulā hanc si secuti Lutherani fuissent, reliquos & superstites adhuc iam haberemus multos bonos uiros, quorum plurima millia sic misere in tumultu rustico perierunt, culpa & uitio prædicatorum peruersorum & deprauatæ doctrinæ. uerum illi quando corpora perdiderunt, animā tamen saluam faciat deus in diem iudicij.

¶ Admirari etiā quis hic posset, quando Christus in sua tentatiōe diabolū sacrę scripturæ relis à se abegit, cur non idem hic quoq; cum pharisæis fecerit, quorū cogitationes rationibus firmis fortiter infregit. Huic sane respondeat Cyrillus, dicens nō attendisse ipsos, falso eas exponentes, ideoq; ex ijs respondit quæ cōmuniter accidunt. Plerunq; alias antehac scripturas eis proposuerat, quas & scrutari eos serio iussit, sed frustra hæc omnia. nam q; dum illas ad sinistrū sensum torquere semper conabatur, quod nunc quoq; faciunt Iudæi in declinandis scripturis, quæ de Messia aperte sunt scriptæ, si quomodo sic cum prætexerent, quasi alio referantur. Ideo nunc maxime sapientia dei patris omissio sacrarum literarū testimonio, probabilibus rationibus, & eiusmodi quibusdam, quæ in rebus humanis accidūt quotidie, cogitationes eorum refutauit. ipse enim scit cogitationes hominum, quā uanæ sunt.

Psalm. 93. 2. Primam nunc mihi cognoscite causam, quamobrem uana fuerit istorum cogitatio. Omne, inquit dominus, regnum in se diuisum, desolabitur. Quoniam & Hieronymus hic post Salustiū dicit, concordia res paruas crescere, discordia etiam maximas quasq; dilabi. Verum est etenim & certum, bonis legibus & ordinatione sana respublikas

& politias ciuitatum retineri: ubi quamprimum discor-
 diae seminarum aliquod pullulabit, statim omnis quae bo-
 na fuerat, perit ordinatio, unde quomodo non sequeretur
 destructio & desolatio miseranda? Posset hoc historiis ue-
 rerum innumeris dilatari. Quis Turcam hostem, imo ca-
 nem saeuissimum trans mare adduxit? nonne duorum im *Turca.*
 peratorum Constantinopolitanorum dissidium, quando
 alter ex Turca querebat auxilium? (Anno 1180.) Quis
 praeterea tributaria Turcae Cyprum effecit? regum discor-
 dia. Quis insuper Turcam Rhodum adduxit? nunquid non
 Cancellarii istius ambitio, qui magnum non adsequutus
 erat magistratum? Ita nobis faueat Christus, ut non haec
 quoque dissensio in Vngaria aliquid monstrat, magnum
 det aliquando malum. Sic dicit Isaias: Tumultuabitur pu- *Isai. 9.*
 er contra senem, & ignobilis contra nobilem. Et sequitur:
 Ruit Ierusalem & Iudas concidit. En hic dissensionem Iu-
 daeorum, totius regni miserandum sequitur excidium. tanta
 autem senper fuit inter Iudaeos discordia, ut obsidentibus
 iam Hierosolymam Vespasiano & Tito, dissensiones inter
 se mutuas sine meditati, autore Iosepho. Eodem plane mo- *Li. 6. c. 10.*
 do nobis quoque eueniet: quia ante imperii Christiani exci- *23.*
 dium, tantum discordiarum & bellorum erit inter Christia-
 nos, ut uniuersum tandem nostrum corruat pereatque re-
 gnum, id praedicente etiam Christo: Surget gens contra gen- *Matt. 24.*
 tem, & regnum contra regnum, bella quoque erunt & sedi *Luc. 21*
 tiones. An non haec uobis iam iam adpropinquare tempo-
 ra uidentur, de quibus uaticinatus est Christus? Aut quis un-
 quam uel uidit uel audiuit, in quo tot nationes, proceres,
 principes, reges, breuiter, innumeram omnium generis ho-
 minum congregationes fuerint conuolutae & implicatae, *Bellum Me-*
 sicut in hoc bello quod per uniuersam annis iam aliquot *diolanen.*
 grassatur Italiam? Sic utique etiam filii Ammon & Moab, quum
 inter seipsos seditionem concitarent, corruentes, mutuis *2. Par. 10.*
 quoque trucidati periere uulneribus. Quid igitur obstat, quin
 rectissime dixerit hic dominus, Omne regnum in se diui-
 sum desolabitur, & domus supra domum cadet: hoc est, uni-
 us dissensionis secta & pars super aliam. Ita Isaias quoque de
 Ierusalem: Videbitis, inquit, in die illa scissuras ciuitatis Da- *Isai. 22.*
 uid, quia multiplicatae sunt. Si autem & sathanas in seipsum

Osee. 10.

diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? sic Osee etiam ait: Diuisus est cor eorum, nunc interibunt. Verum sathanas sibi ipsi aduersarius non est, quando alius alium in malignitate etiam fortiter adiuuat, non consistit itaq; quod uos cogitatis, me in Beelzebub eijcere dæmonia. Agnoscite itaq; & considerate latentem in me diuinam uirtutem, in uno illo & indiuiso regno dei.

**Hierony.
Beda.**

3. ¶ Alio iam argumento cōtra Iudæos utitur Christus, dicens: Filij uestri dæmonia eijciunt, non tamen in uirtute Beelzebub, & ego igitur idem hoc nulla diaboli facio potestate. Sunt qui putent hic Christum intellexisse exorcistas templi in Ierusalem, qui per nomen dei dæmonia eijciebant, quod hic Hieronymus & Beda commemorant. Multa etiā fabulosa extant de exorcismis & adjurationibus regis Salomonis. Ego uero declarationem istam missam hic facio, quando & mihi nec uerisimile uideretur, nec fidem magnam facit, potuisse tunc Iudæorum

Exorciste.

ministros in templis suis eijcere dæmonia. profecto enim si id fecissent, quid opus erat turbas adeo mirari, qd Christus iam uelut nouo miraculo cū suis dæmonia eijciebat? Quid quod ipsum etiam Iudæi exprobrassent domino, qd non ideo filius Dauid esset siue Messias, quoniam alij quoque Iudæi idem hoc possent? Sed & tam obdurata erāt ceruice, imō & cæcitate tāta, ut prohibuissent quoq; ne quēpiam hominem obsessum Christo adducerēt. Hinc omnino fit, ut persuadeat magis accedere alteri sententiæ Chry-

**Chrysof.
Cyrillus.
Matth. 10.**

ostomi, Cyrilli, Hieronymi & Bedæ, dicereq; Christum hic per filios apostolos suos intellexisse, & eos qui in nomine suo eijciebant dæmonia. Jam etenim Christus discipulos suos ablegarat, data illis potestate eijciendi dæmonia, unde & ad ipsum deinceps reuerfi, dæmonia iam sibi

Luce. 10.

obedire dicebant. Quamuis & alij quoq; qui nec Christi erant discipuli, nec ipsum sequebant, dæmonia eijciebāt, sicut & Iohannes ad Christum dicebat: Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eijciētem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. & ait ad illum

Luce. 9.

Iesus: Nolite prohibere, qui enim non est aduersum nos, pro nobis est. De ijs iam nunc quoq; loquens Christus, di-

eit: Filij uestri in cuius potestate eijciunt dæmonia? Perspi-
 cis hic, inquit Chrysoſtomus, quàm mitis sit sermo. non
 dixit, discipuli mei aut apostoli, sed filij uestri: ut siquidē
 ad eandem cum illis animi nobilitatem uenire uelint, ma-
 gnam hinc opportunitatem atq; occasionem nanciscan-
 tur: sin uero id facere recusarent, ecce quàm statim pœna
 sequitur, ipsi iudices uestri erunt: ij inquam quos nostis,
 qui è uobis nati sunt, sub uobis educati, dæmonia eijciunt
 in nomine meo, nō in Beelzebub. Desinite itaq; mala hæc
 cogitare in cordibus uestris. aut quomodo suspicamini
 me in Beelzebub pellere dæmonia, cum idem hoc nō co-
 giteris de discipulis meis, qui & ipsi in nomine meo eijci-
 unt? Tantum abest ergo ut euadatis supplicium, ut cruci-
 atu etiam maiori torquendi sitis, discipulorum meorum
 iudicio.

Chrysoſt.

4. ¶ Ecce in tergo statim peccati pœnam. Ipsi iudi-
 ces uestri erunt, quia enim è uobis nati mihi obediunt, iu-
 dices uestri erunt in die nouissimo. Non tantum sicut Ni-
 niuitæ & regina Saba, sed ut adseffores magnifici, iudica-
 bunt & ipsi uniuersum mundum, iuxta illud domini pro-
 missum: Amen dico uobis, quod uos qui secuti estis me, in
 regeneratione cum sederit filius hominis in sede maie-
 statis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudican-
 tes duodecim tribus Israel. Certum est, apostolos quoque
 testimonium duros domino aduersus malignitatem Iu-
 dæorū, quoniā sic de eis scribit Isaias propheta: Vere uos
 testes mei, dicit dominus. & sicubi illos tanquam simpli-
 ces ex uulgo homines & imperitos contemnere uoluis-
 sent Iudæi, ecce hic magnificentiam, amplissimam digni-
 tatem, & splendidissimum honorem eorundem dominus
 aperit, dum iudices eos futuros ostendit: quod & Paulus
 declarauit ijs uerbis, dicens: Iudicabit id quod ex natura ē
 præputium, legem consummans, te, qui per literā & cir-
 cuncisionem præuaricator legis es.

Luce. 12.

Matth. 13

Matth. 19

Isaie. 43.

Roma. 2.

¶ Refutata iam ratione ualida aduersantium Iudæorū
 cogitatione, ex altera porro parte concludens dominus
 ait: Si in digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in
 uostregnum dei. per dei digitū nō est quod aliud intelli-
 gas, quā significationē uirtutis & spiritus dei, quomodo

Luce. 11.

- & malefici Pharaonis dicebant, esse hic digitum dei, hoc est, tum potentiae, tum spiritus diuini manifestationem. Hinc Matthaeus quoque clarius dicit: Si in spiritu dei eijcio daemonia, quoniam spiritus sanctus in daemionum expulsionem arguitur magnae esse & uirtutis & gratiae. Arguunt omnino sicut digito rem aliquam demonstrare solemus, ita uirtutem & omnipotentiam dei miracula monstrant atque arguunt. Habent igitur haec uerba, & continent in se grauem quandam non instructionem tantum, sed & correptionem Iudaeorum, quasi diceret dominus: Quid cogitatis iniquissimi in cordibus uestris, quod in Beelzebub eijcio daemonia? digitus hic dei est, uirtutis diuinae magna & insignis manifestatio, quam & malefici Pharaonis cognouerunt, & uos cognoscere erubescitis, siue contemnitis.
- Beda.** Beda concludit hic, manum & brachium dei, filium esse: digitum uero illius, spiritum sanctum: quoniam sicut digitis nostris dona expendimus, ita & spiritus sanctus gratiae suae munera fidelibus impertitur, ut iam rectissime digitus ille dei uocetur, teste etiam Paulo ad Corinthios.
- ¶ Postremo, manifeste Iudaeis declarat dominus, quid illis commodi, quid fructus prouenturum esset, si uera constantique fide crederent Christum in digito dei, ipsoque ad eo spiritu sancto eijcere daemonia, cum ait: Quia peruenit in uos regnum dei. Regnum illud, utique gratiae, regnum fidei, regnum, inquam, euangelicum, imo Christus ipse, regnum hoc scilicet in uos peruenit, regnum istud quod & intra uos est. Cumque diabolus tanto haecenus tempore regnaret in mundo post lapsum Adae, usque adeo etiam ut homines totos obsideret, nunc demum, daemonia me eijciente, peruenit utique in uos regnum dei, dum ille iam per me regnat in bonis, pulso diabolo, peruenit, inquam in uos regnum fidei, unde regnum acquiratis salutis aeternae.
- Hierony.** ¶ Vel etiam hoc illo caelorum regno seipsum iuxta Hieronymi sententiam significat, de quo in alio loco scriptum est: Regnum dei intra uos est. Vel certe illud regnum, quod & Iohannes & ipse dominus praedicauerant, poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum, Est & tertium regnum scripturae sanctae, quod auferetur a Iudaeis, & tradetur genti facienti fructus eius. Hic iam
- Exodi. 8.**
- Matth. 12.**
- Luce. 1.**
Augu. de-
que. euan.
1. C. 02. 12.
- Luce. 17.**
- Hierony.**
- Matth. 3.**
- Matth. 21.**

uidere licet immensam spiritus sancti & ineffabilem maiestatem, cum quo simul in nos peruenit regnum dei. Vbi considerata nobis proponitur mitissima CHRISTI benignitas, qui quàm salutaribus monitis Iudæos perducere conatus est ad fidem, & ne tanta miracula diabolo ferrent accepta, quasi dicere uellet: Cur in beatitudine uestra tanto mœrore turbamini? cur aduersus uestram salutem arma confertis? Cur miracula quæ in uestrum commodum facio, contemnitis? Ecce si in digito dei eijcio dæmonia, iam iam in uos peruenit regnum dei, iam præsto adest gratia illa dei, quam tantopere tot retro seculis maiores uestri & uos summis uotis exoptastis. Itaq; cõtra cõmodum, salutem & honorem uestrum nolite cõtendere, nolite malignari, ne sitis ipsi cõtarij uobis, iam in uos peruenit regnum dei. Id adeo nobis concedat dominus noster Iesus Christus, Amen.

Chrysof.

HOMILIA TERTIA

tertiæ Dominicæ in quadragesima.

Eiecit dominus dæmonium ex homine, admiratæ sunt turbæ, pharisæi autem non sine contemptu in sinistram partem rapuerunt, suspicantes in Beelzebub eum hoc facere. Suspicionem hanc & malignam cogitationem dominus refutauit, ratiõibusq; firmissimis reiecit. Primum, cum dixit: Quoniam omne regnum in se diuisum, desolabitur. ideoq; dæmonium unum alterum non expellit, aliàs dispergeret seipsum.

¶ Deinde ait: Filij quoque uestri dæmonia eijciunt, nõ autem in Beelzebub. iniquum est igitur id mihi tribuere. Postremo iam idem hoc tali similitudine refellit: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Ecce ut radicatus conceptam istam persuasionem ex animis Iudæorum euelleret dominus, & apertissima & aptissima utitur similitudine. Breuiter, fortem hunc armatum, diabolum intelligit, cuius arma omnium sunt genera peccatorum, in quibus iste cõfidit. Atrium suum mundus est uniuersus, qui in maligno positus est totus. hunc iste in pace possedit, sed tyrannorum tantum more, à pri

1. Joha. 4.

ma paradisi irruptione usque ad aduentum CHRISTI, torus enim tunc mundus idololatriæ deditus erat, dempto unico isto, sed exiguo tamen Iudææ angulo. Idololatria cæteraque innumera quædam vitia, quæ per longum Paulus ad Romanos scribens, recenset, grassabantur in mundo continue, donec fortior ueniret, qui & diabolum ex idolis expulit, & illius potestatem confregit adeo, ut simulacra quoque gentilium coram Christianis obmutescerent, corruerentque, sicut in *Vitis apostolorum sanctorum* hinc inde legitur.

Roma. 1.

Job. 41. 9.

Habac. 1.

Isaie. 40.

Isa. 38. 10.

Apo. 6.
Hierony.

¶ Quis itaque tam cæcus est, qui non iam uideat Christum hic, per fortem, intelligere diabolum, per fortio-rem autem, seipsum? de diaboli fortitudine communis est ille locus Iob, quod non sit potestas super terram quæ comparet ei. & alibi, Terra data est in manus impij, uultum iudicum eius operit. Quid multa? uere uerissimū est quod Habacue dicit, Totum in hamo subleuauit.

¶ Dices autem, Si per fortem hunc intellexit dominus diabolum, quomodo consistit quod sequitur, in pace esse omnia quæ possidet? si quidem uerum est illud *Isaia*, dicentis: Non est pax impijs, dicit dominus. Respondeo, pacem non esse impijs, uerum est de pace quæ intrinsecus pacatam reddit conscientiam, cuiusmodi in homine malo non est: sed intelligendo de afflictione extrema, certum est plerunque in maxima pace uiuere homines etiam pessimos, dum nō est qui uel eis aduerferet, uel malitiam ipsorum impediatur, sicut & *Isaias* dicit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Et iterum: Vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam.

2 ¶ Fortior autem qui superuenit, dominus noster Iesus CHRISTVS est, sicut & nos iam diximus, & testatur idem *Iohannes*, cum ait: Data est ei corona, & exiuit uincens ut uinceret. Nanque cum filius dei factus est homo, dominus ille exercituum, tunc statim diabolum superauit, arma ei ademit, ipsumque adeo inferno adligauit & astruxit, limbum confregit, patres inde eripuit: & qui iam paulo ante captiui fuerant, tunc in cælo diuisi sunt per choros angelorum. Vide iam hic, quā

valide cogitationes Iudæorum infringat atque refutet **Chrysoſt.**
 dominus. illi cogitabant CHRISTVM in Beelzebub eijcere
 re dæmonia, CHRISTVS vicissim probat se, ut potentio-
 rem, dæmonum principem quoq; superare & spoliare,
 unde potestatem diabolicā nullo modo isti tribuere do-
 mino debebant. Quando certum hoc signum est, Messi-
 am ipsum esse, ex eo quod Matthæus cōmemorat, ipsum
 etiam ligare fortem, Luciferum puta, quamuis ille mo-
 dico tandem adhuc tempore sub Antichristo solutus li- **Apo. 20.**
 berabitur.

¶ Arma porro fortis istius, mali doli & innumera
 sunt peccatorum genera, à quibus cauere nobis nos pru-
 denter monuit Paulus: Non regnet, inquiens, pecca- **Roma. 6.**
 tum in uestro mortali corpore, ut obediatis concupi-
 scentijs eius, sed neque exhibeatis membra uestra, arma
 iniquitatis pctō. Arma hæc dominus illi ademit per gra-
 tiam suam, quam nobis in sacramentis communicat, quo-
 rum ope & auxilio omnibus insultibus & dolosis tenta- **1. Johan. 3**
 tionibus diaboli queamus resistere, iuxta illud Iohānis:
 In hoc apparuit filius dei, ut destruat opera diaboli. Nō
 debemus itaq; inquit beatus Hieronymus, esse securi. Ad **Hierony.**
 uersarius noster fortis, uictoris quoq; uocibus, compro-
 batur. Vicissim tamen hoc quoq; solatio esse nobis pote-
 rit, quòd hostis iste quantumcunq; fortis, uincere tamen
 neminem potest nisi uolentem.

¶ Arma quoque fortis, insuper aufert fortior, in
 quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Id supra quo-
 que memoratum est de patribus ueteris testamenti, de **Ephe. 4.**
 quibus Paulus ait, quòd CHRISTVS ascendens in altum,
 captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.
 Hoc illud est quòd in ecclesia catholica spolia distribuit,
 diabolum proffigauit & strauit. & in ecclesia quosdam
 dedit apostolos, alios prophetas, euangelistas nonnul-
 los, quosdam etiam pastores & doctores. Quid multa?
 hoc ipso Iudæos à falsa suspitione abducere uoluit domi-
 nus, probans se miracula non in diaboli facere potesta-
 te, quando ijs esset uiribus, ut ipsum etiam diabolum uin-
 ceret ac superaret, tantum abesset, ut ulla eius ope indi-
 geret & auxilio.

¶ Alia iam rursus ratione falsitatem cogitationum, quas Iudæi habebant, euincit, dicens: Qui nō est mecum, contra me est. Nihil hic mediū. uel deo quis sit coniunctus oportet, uel contra ipsum. Itaque cum diabolus & membra sua cum deo non erant, contra eum fuisse certum est: quando & ipsa diaboli opera, operibus dei contraria sunt. diabolus condemnationem uult animarum, **Hierony.** CHRISTVS salutē & liberationem; ille prædicat idola, hic unius dei notitiam; ille trahit ad uitia, hic ad uirtutes reuocat. quomodo ergo possunt inter se habere concordiam quorum opera diuersa sunt? Congregat CHRISTVS animas in felicitatem æternam, diabolus dispergit in condemnationem. Quid itaque suspicamini me in Beelzebub eijcere dæmonia, cum iste mihi in omnibus contrarius, opera quoque mea dispergat? Omnia hæc eo proposuit CHRISTVS, ut ostenderet inimicitias quæ sibi essent cum diabolo.

¶ Chrysofostomus, ut alij quoque, hæc de diabolo intelligit, & insuper tamen ad Iudæos refert, qui CHRISTO semper aduersabantur: qui quicquid ille congregabat, dispergere conabantur. Sensus hic in sacrarum scripturarum regula solide firmatus est, quoniam illæ interdum de capite, nonnunquam de membris, aliàs de utrisque simul loquuntur: atque ideo quamuis hæc uerba dominus contra diabolum præcipue dixerit, possunt eadem tamen recte intelligi de membris ipsius, hæreticis & schismaticis: qui quando cum CHRISTO non sunt, contra eum esse agnoscuntur, in omni semper discordia dispergentes, iurgia miscentes, seminantes mala, quia nulla omnino hæresis sine dissensione concitatur & seditione & bello, quod ipsi quoque infelici hoc nostro seculo non sine magno damno experti sumus. Verum hinc quoque redargui possunt, qui neutrales eē cupiūt, & nec pro antiq̄ sanctæ ecclesiæ, eaq̄ indubitata fide stare, nec Lutheri partib⁹ fauere uolūt: qd̄ q̄ fieri nō possit, hic apte Christ⁹ docuit, cum ait: Qui non est mecum, cōtra me est. De cōgregatione CHRISTI, qui pacem & unitatem semper querit, tota undique plena est scriptura. Ecce enim David dicit: Saluos nos fac domine, & congrega nos de natio-

Neutrales.

psal. 105.

nibus, ut laudemus nomen sanctum tuum. Sed & dominus quasi dolenter ait: Quoties uolui filios tuos congregare, sicut gallina congregat pullos sub alis suis, & nolui isti? & in alijs multis locis. Vnde luce clarius cognosci potest, & uelut certo quodam argumēto discerni, quod hæc illa sit ecclesia catholica, quæ & unica ē & in unitate uiuit. *Matth. 23.*
 Contrā quoque id certissimum est, ecclesias hæreticorum dispersas esse, scissas, sibiq; ipsis contrarias, & in partes ac sectas innumeras diuisas: quamobrem & sectæ appellari solent, ut hodie ex Lutheranis prodierunt Capharnaitæ, parabaptistæ, pneumatici. *Cant. 1.*
Eph. 5.

¶ Astutiam diaboli nunc eis proponit dominus, quod nonnulli in uniuersum sic intelligi uolunt, quod hic dominus homines omnes submonitos uoluerit, ut sibi à dolis & astu diaboli prospicerent, & expulso illo semel ex cordis habitaculo, quod iam hoc tempore sacro in multis factum speramus, ne amplius illi daretur per uictoriam tentationum regressus. Sunt rursus, qui putant hoc eum peculiariter cōtra ludæos esse locutum, inter quos beatus Ambrosius: In uno, inquit, homine totius Iudæi ci populi comparatio est, à quo per legem spiritus immundus exierat: sed quia in nationibus & gentibus per fidem Christi requiem reperire nō potuit, regressus est ad gētem Iudæorum, factaq; sunt posteriora illius prioribus peiora. Factum enim est deinceps, ut iuxta prophetiā Danielis, non fuerit ei⁹ populus, qui eum abnegauerat. Vtrūque hunc intellectum uerum iudicamus, itaq; & sub breuitate libet percurrere. *Ambro. Cyril.*

¶ Beda de quolibet hæretico uel schismatico, uel etiam malo catholico hoc idem accipit, e quibus in baptismo spiritus immundus eicitur, per passionem diuini nominis & abrenunciationem diaboli & pomparum suarum omnium. uerum pulsus ille, quærit statim & pulsat ubique, sicubi conscientias inueniat lubricas: & si requiem nullam habere potest, septem sibi spiritus adiungit se longe nequiores, hoc est, tentationes septem peccatorum mortalium: qua fraude si quem ceperit, fiunt posteriora illius peiora primis. Vnde colligunt quidam, Christianorum peccata grauiora esse quàm eorum qui Christi peccata. *Daniel 9.*
In fidelit
peccata.

nomen & fidem non agnouerunt: quod in specialibus peccatis facile concedo, in generalibus non perinde admitto. Do etiam hoc tibi, adulterium Christiani fidelis, grauius esse peccatum quam Turcæ adulterantis, cæteris saltem paribus. Verum si Turca non agnoscens nec confitens nomen dei uiui & ueri, blasphemans contemnet & CHRISTVM dominum, & omnes ritus Christianæ fidei, eum ego sane magis sceleratum assero quam Christinum adulterum, raptorem & potatorem, nisi sic quæque à CHRISTI fide deficiat, & abneget illam, cui melius longe futurum erat, Christianum nunquam fuisse: quomodo intelligi debet illud Petri, Melius erat illis non cognoscere uiam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contigit enim eis illud ueri prouerbij: Canis reuersus ad suum uomitum, & sus lota, in uolutabro luti.

¶ Egressus ergo, imò expulsus ab homine spiritus immundus, non ociatur, sed abit per inaquosa & arida loca, undique circumiens & quærens quem deuoret, sicut Petrus ait, cui resistere nos oportet fortes in fide. Sed & apud Iob sic inquit sathan ad dominum: Circuiui terram, & perambulauit eam. Inueniens autem loca arida, corda inaquosa, in quibus aqua nulla est, nullus malæ concupiscentiæ humor & peccatorum affluxus. sic enim Iudæi quoque per aridam ambulantes euaserunt, Aegyptij in medijs aquis submersi perierunt. Neque ullam inueniens requiem, non consentientibus scilicet animabus bonorum hominum in suggestiones & tentationes diaboli, quia eius habitationem Iob describit in hunc modum: Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus. Sub umbra, inquam, hoc est, in conscientijs tenebrosissimis; in secreto calami, in hypocrisis, ubi præter fucum externum nihil est quod lateat intrinsecus; & in locis humentibus impuditiæ. Horum trium si nullum omnino in pijs & sanctis hominibus inuenit diabolus, ita secum loquitur ipse: Reuertar in domum unde exiui.

¶ Eo ueniens, statim hominem illum rursus tentat. Qui uersiculus, ut ait Beda, timendus est nobis, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam crede-

bamus, per incuriam nos uacantes opprimat. Domum illam autem scopis purgaram inuenit, quod nonnulli ad externam tantum boni speciem referunt, quam hypocritæ prætexunt: unde eos dominus quoque sepulchris comparauit dealbatis, & intus fœtentibus. sic Beda & Ambrosius exponunt. Verum alio adhuc sensu purgatio quæ fit scopis, in scriptura plerunque pœnitentiam significat, sicut David ait: Exercebar & scopebam spiritum meum. Et Isaias: Scopabo eam in scopa, ideoq; textum hunc non arbitror esse de hypocritis intelligendum, quorum corda aperta semper & patentia diaboli sunt habitacula, qui etiam non aliorum plurium indigent auxilio dæmoniorum. Sed accipiendum utiq; hoc totum est de quolibet peccatore, qui cum pœnitentiam egit de peccatis suis, & sic animam suam expurgauit scopis sacramenti ipsius pœnitentiæ, diabolus tamen à festis paschalibus non cessans, rediit: sed animam inueniēs expurgatam, iterum alios sibi adiungit dæmones septem se nequiores, hoc est, adfectiones septem peccatorum capitulum, & ingrediuntur in animam per illius ad peccata consensum, sicut & pharisæis accidit, qui hic temere ad eum dominum & iudicabant, & inique persequabantur: atque deinceps fiunt postrema hominis illius, prioribus multo peiora. Hic firmiter fundatum est, peccata hominis alicuius post pœnitentiam grauiora esse quàm ante eam: idq; ob ingratitude, quæ peccati pondus grauat. Qua de re plura in sermonibus de pœnitentia. Tu adde aliqua de confessione.

Matth. 23.

Beda.

Ambro.

Psalm. 76.

Isaię. 14.

Postremam huius euangelij partem de muliere, quæ uocem suam extulit & eleuauit in laudem domini, quære in homilijs de festiuitatibus Mariæ.